

EPISTOLAE CIRCULARES AMPLISSIMI DOMINI
GENERALIS OCCASIONE OCTAVI CENTENARII
MORTIS S. NORBERTI, FUNDATORIS ORDINIS
PRAEMONSTRATENSIS

REVERENDISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI ABBATES
AC DILECTISSIMI IN CHRISTO ET S. P. NORBERTO
CONFRATRES,

Novus annus, quem paucos ante dies inchoavimus, non est pro nobis, filiis Sancti Norberti, annus quivis communis, cujus eventus nobis ignoti in Dei praeventis et providentis sunt manibus, quosque felices grato, infelices aequo et patienti animo recipere nos oportet. Est enim pro nobis annus memorabilis, quoniam in ejus decursu gaudenter et gratanter octavum recolemus centenarium sanctissimi obitus beati Fundatoris sacri Ordinis nostri Praemonstratensis. Quapropter fas esse duximus et congruum, ut in limine hujus anni jubilaris votis et omnibus faustitatis et felicitatis ad vos a nobis dirigi solitis, superaddamus particulare optatum tanto ac tam laeto memoriali consentaneum.

Postulamus scilicet a Deo et ardenter pro singulis filiis Sancti Norberti apprecamur, ut propitius exaudiat orationem quam in officio nostro liturgico in octava die Festi Sti Norberti ad Ipsum dirigimus, rogantes ut excitet in nobis « Spiritum cui beatus Norbertus Confessor atque Pontifex servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare quod amavit et opere exercere quod docuit ». Ad hoc enim ante omnia contendere debent religiosi, si velint uberrimos sanctificationis fructus ex sua vocatione haurire, ut spiritum sui Fundatoris imbibant et exemplum ejus jugiter intueantur, prout nos monet Summus Pontifex Pius XI in praeclara sua Epistola Apostolica ad Supremos Moderatores Ordinum Regularium d. 19 Martii 1924 directa. « Ac primum omnium religiosos viros cohortamur, ut suum quisque Conditorem Patremque legiferum in « exemplum intueantur, si velint gratiarum, quae e sua ipsorum vo-

« catione profisciscuntur, certo esse copioseque participes. Praestan-
 « tissimos enim ejusmodi viros, cum sua excitarunt Instituta, quid
 « aliud fecisse constat, nisi divino afflatui paruisse ? Quam igitur
 « ii notam in sua cujusque Sodalitate impressam voluerunt, eam
 « quicumque ex suis in se exhibent, ab incepto sane non aberrant.
 « Quare eo sodales, optimorum instar filiorum, curas cogitationes-
 « que convertant, ut Patris legiferi honorem tueantur, ejus cum et
 « praescriptis et monitis obsequendo, tum imbibendo spiritum ;
 « neque enim e statu suo decident usque dum Conditoris sui vesti-
 « giis institerint : « Filii eorum propter illos usque in aeternum
 manent », »

Qualis porro fuit spiritus, cui post conversionem suam Sanctus Fundator noster jugiter servivit, quo totus erat imbutus, quemque filiis suis veluti patrimonium legavit ? Spiritus, qui eminuit in Sancto Conditore nostro, fuit spiritus apostolicus et eucharisticus.

S. Norbertus vix presbyter ordinatus totum se dedit praedicationi verbi Dei. Potestate sibi data a Summis Pontificibus Gelasio II et Calixto II fidelibus annuntiandi ubique verbum Dei, totam pene peragravit centralem Europam, ubique fidem praedicans tanto cum zelo et ardore, ut nec aspera hiems, nec inedia, nec corporis lassitudo eum a praedicationis proposito avocare potuerit ; atque tanta cum affabilitate tamque persuasibilibus verbis, ut ubique ad ejus adventum catervatim confluerent populi ac ejus monitis doctrinisque instructi resipiscerent et ad meliorem frugem reverterentur. Archiepiscopus Magdeburgensis factus suum praedicationis apostolatium, quantum prae sui muneris officiis licuit, est indefesse persecutus. Non solum instructioni ovium suarum sese devovit, sed et conversioni ferarum incultarumque gentium, quae ultra incertos limites orientales suae dioceseos cultui idolorum erant dediti ; sicque paganam gentem Wendorum per se et per discipulos suos in adiutorium vocatos ad Evangelii lumen adduxit. Mirum itaque non est quod apostolicus ille Antistes Norbertus, tantis dotibus naturalibus praeditus, tam alta fruens cultura, ictu coelestis gratiae ut alter Paulus percussus ac indefesso zelo verba salutis praedicans, inter coetaneos suos claruerit ut lucerna ardens super candelabrum posita, atque tot devios ad vitam christianam revocaverit totque errantes ad ovile Christi adduxerit.

Hunc zelum animarum, hunc spiritum apostolicum, quem S. Norbertus suos habere voluit, revera inter filios ejus jugiter perennasse, historia Ordinis probat, et adhuc vigere, hodierna facta testantur.

Ex annalibus Ordinis Praemonstratensis compertum est quan-

topere filii Sancti Norberti in decursu saeculorum ubique sese devoverint curae animarum, tum per praedicationem, tum per administrationem Sacramentorum, tum, quod ipsis magis proprium est ac eorum particulare meritum in Ecclesia Christi, per erectionem et administrationem parœciarum, potissimum in pagis ruralibus ab urbibus saepe longe remotis, in quibus incolae regulari ministerio spirituali destituti erant. Ex laudibus Ordini nostro a Summis Pontificibus saepius delatis, et ex eorum hortamentis ad extensionem talis apostolatus conficere licet, quantum monasteria Ordinis Praemonstratensis, talia centra condendo, in iisque pastorem curam exercendo, contulerint ad fidem in suis viciniis firmandam et vitam christianam fovendam. Hic apostolatus, ut peculiariter proprius Ordini nostro, etiamnum nostris diebus ab universis pene monasteriis cum eodem zelo in eodem spiritu Sti Norberti adimpletur.

Verum ultimis his annis vastior campus apostolico zelo Praemonstratensium patere cœpit, a quo S. Sedes alumnos Ordinis nostri ad dissitas regiones evocavit eorumque apostolatam ibidem exercendum rogavit, tum apud catholicos in fide parum instructos et titubantes, vitiisque deditos, tum apud haereticos fide et Sacramentis carentes, tum etiam apud paganos in densissimis tenebris abominabili idolorum cultu et teterrimis vitiis detentos. Abbates nostri voci Petri paratissime morem gerentes, nostris diebus colonos fidei miserunt ad utramque Americam, ad Angliam et Daniam, ad Africam et Asiam, ibique laetissime vident filios suos maximo cum fructu alacriter et genere allaborare extensioni regni Christi et saluti animarum.

Dulce profecto nobis est et magno solatio, re et effectu comperire spiritum apostolicum adhucdum imbuere filios Sti Norberti eosque opere exercere quod docuit. Sancta ergo sit cura et constans officium Superiorum hunc spiritum inter suos fovere ac promovere; cunctique vero subditi se teneri censeant confratres suos operarios tam domesticos externos suis precibus adjuvare.

Alter spiritus, qui Sancto Patri Norberto etiam specialiter tribuitur, est spiritus eucharisticus. Non abs re ex diurna et constanti traditione Sanctus noster Patriarcha pene semper exhibetur et repraesentatur, quasi per signum characteristicum, ut gestiens aut adorans Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. Et re quidem vera quanta fide et pietate post sacerdotalem ordinationem sese praeparavit per dies quadraginta in monasterio Sigebergensi ad primitias suas sanctissime celebrandas! Quantae fidei denuo et fiducia in Deum nobis specimen dedit, dum Missam celebrans in

crypta sese exposuit, ex reverentia erga eucharisticas species, aestimato mortis periculo ! Prodigia quae operatus est in itineribus suis apostolicis, puta sanationes instantaneas, daemonum expulsionones, nonne ea pene semper produxit intra vel circa Missarum solemnities ? Denique Antverpiam vocatus a Burchardo Cameracensi episcopo, ut per se et discipulos suos civitatem istam cura suis viciniis purgaret a turpitudinibus haerisiarchae Tanchelmi, nonne Mysterium Eucharisticum in honorem ibidem et in cultum fidelium restituit ? Adeo verum est hunc fuisse peculiarem mirabilis hujus conversionis effectum, ut Ecclesia indulserit Praemonstratensibus, hoc memoriale in suo officio liturgico annuatim recolentibus, hunc Triumphum Sti Norberti celebrare per officium et ad instar festi Corporis Christi.

Hunc cultum, hunc spiritum eucharisticum S. Pater Norbertus Ordini a se fundato alte infudit. Hinc magnifica templa artificiosissime ornata, ut Eucharisticus Hospes digne inter se habitaret ; hinc splendor cultus quocum ab Ecclesia institutum festum Corporis Christi, illud aequando solemnioribus festis liturgicis, a saeculis celebrarunt. Omni aetate et praesertim hac nostra, qua publicae manifestationes et glorificationes in honorem SSmae Eucharistiae magis florent et frequentiores sunt in Ecclesia, filii Sti Norberti illis usque generose et piissime sese associarunt. Imo nostris diebus eucharisticarum institutionum non solum participes, sed et plurium sunt moderatores. Magnifici illi congressus Eucharistici, qui ex universo orbe catholico ante quinquaginta circiter annos coadunari coeperunt, quique successive in magnis oppidis, non solum Europae, sed et Americae septemtrionalis, Africae et Oceaniae celebrati fuerunt, quorumque trigesimus secundus hoc ipso anno in Buenos-Ayres, principe civitate reipublicae Argentinae Americae Meridionalis, congregabitur, habent ab anno 1902 qua moderatorem, filium Sti Norberti, nimirum Excellentissimum Dominum Thomam Heylen, praeclarum episcopum Namurcensem, decus et gloriam Ordinis nostri. Neminem latet quantopere hi conventus, sub hujus impulsu et directione, contulerint ad cultum Eucharisticum in universa Ecclesia extendendum et promovendum.

Alia associatio Eucharistica, sub nomine *Archiconfraternitatis Missae Reparatricis*, cujus finis ab humili sorore conversa Ordinis nostri conceptus, aggregare est pios fideles paratos reparare offensam Deo illatam per violationem praecepti audiendi Missam diebus Dominicis et Festivis, per auditionem alterius Missae, habet sedem suam cum facultatibus et praerogativis Primae Primariae ex con-

essione S. Sedis in Abbatia Tongerloensi. Similiter Associatio, cui nomen et titulus *Cruciata Eucharistica Pii X*, cujus scopus est promovere inter pueros, juvenes et adolescentes utriusque sexus frequentem et fervidam communionem, sicque efformare in quaque classe nucleum juvenum electorum, qui per vitam vere christianam et moribus integerrimam, ipsi ad sanctitatem contendant suisque coaetaneis sint normae et exemplo, sedem habet in Abbatia Averbodiensi pariter, ex indulto S. Sedis, cum facultatibus et favoribus Unionis Piae Primariae.

His sedulo consideratis, licet nobis sane confidere Ordinem nostrum Eucharisticum spiritum Sancti Norberti usque conservare, imo continuo exserere et evolvere. Hanc fiduciam corroborat paternum verbum quod ex ore Summi Pontificis feliciter regnantis nobis aliisque Abbatibus audire datum est in audientia nobis concessa anno 1922 post absolutum Congressum Eucharisticum : « Ordo vester, dicebat Summus Pontifex, est gloriose Eucharisticus et Eucharistice gloriosus ». Ut hoc tantum elogium constanter mereamur, vestigiis Sancti Patris ac Fundatoris nostri fideliter inhaeramus, ejusque spiritum apostolicum ac eucharisticum jugiter conservare, usque fovere et promovere satagamus. Omni nisu hunc duplicem spiritum inculcare studeamus tironibus et juvenibus confratribus nostris, ut genuini ac germani evadant filii Sancti Norberti, jamque amodo nobis sint magnae spei, et post solidam formationem religiosam valido adjutorio in operibus nostris apostolicis et eucharisticis.

Reverendissimi et Amplissimi Domini Abbates ac Dilectissimi in Christo Confratres, jubilemus Deo salutari nostro in hoc pio memoriali beati Fundatoris Ordinis nostri ; rogemusque Patrem nostrum Norbertum ut Ordinem nostrum paterne et potenter usque custodiat, ejusque hodiernum supremum moderatorem indignum suo patrocinio apud Deum valide tueri dignetur.

Datum in Abbatia Averbodiensi, 25 Januarii 1934.

GUMMARUS CRETS,
Abbas Generalis,